24

Annuente Cæli Gratia!

De

DYSPNOEA,

Ex

Indultu Gratioſæ Facultatis
Medicæ Wittebergenſis

Sub

PRÆSIDIO

VIRI NOBILISS. EXCELLENT.
Atq; EXPERIENTISSIMI

DN. CHRISTIANI VATERI,
Philoſ. & Med. D. Practici Felicisſ.
DN. Patroni ac Præceptoris ætatèm colendi,

AD DIEM XXX Aug. ANNO M DC LXXXIV.

IN AUDITORIO MED.

Diſſeret

A. R.

ANDREAS CASPAR GEORGI,
Mittvveidâ-Miſn.

WITTEBERGÆ,
Literis Viduæ BRüNINGIANÆ, Excudebat ANDR. Ball.

SI ullæ aliæ, certè circa Reſpirationis negotium contingentes læſiones præ cæteris curioſè & ſedulò perveſtigandas prudenterq́ curandas eſſe, haud vanè dixerim: non ſolùm qvòd præ omnibus ad vitam conſervandam per omnia momenta ſummoperè neceſſaria, utilisſima, indeq́ cum ipſa vita ſtatim extra uterum inchoända, & non niſi cum ipſa vita demùm abjicienda ſit; ſed qvòd etiam ex ſingulis aliis læſionibus vel affectibus nullus tàm latè pateat, nullus tot tantorumq́ morborum individuus comes, nullus deniq́ tàm periculoſus & moleſtus deprehendatur, qvàm difficilis Reſpiratio. Unde & Seneca Epiſt. 55. Omnia, inqvit, corporis aut incommoda aut pericula per me tranſierunt; ſed nullum mihi Suſpiriô videtur moleſtius, qvidnî? aliud enim qvicqvid eſt, ægrotare eſt; hoc verò eſt animam

 agere.

agere. Eqvidem latisſimus ac patentisſ. hîc mihi oſtenditur campus, in qvem excurrere poſſem, ſi materiæ huic fuſiùs deducendæ inhærere vellem; verùm qvia rem ipſam certis iisq;, qvàm poteſt fieri, breviſſimis cancèllis circumſcribere animo ſedet, ſufficiet in præſenti ſpeciminis loco tanti affectus naturam, cauſas & medelas indagaſſe, & breviter ſaltem adumbraſſe.

Faxit DEus Ter O. M., ut ex voto meo in Anheloſorum cedant convaleſcentiam, qvò ſanati libera mecum ora in ipſius laudem ſolvere æternùm qveant!

THESIS I.

DE Diſpnœa in genere locuturus, non qvidem circa nominis evolutionem prolixiùs occupari fert animus, cùm longè magis ardua de affectus ipſius natura aliisq; attingenda veniant. Patet enim aliàs facilè affectûs vocabulum, â Græcis mutuatum, Latinè per difficilem reſpirationem exprimi debere. Id tamen in limine præterire non conſultum, qvomodo & qvot modis Diſpnoea in foro Medico nunc accipiatur, ne his ignoratis aut neglectis ſtudiò obſcuritati litaſſe aut multis dubitationibus anſam præbuiſſe videar. Et qvidem jam inſinuavi, per Dyſpnoeam nihil me aliud, qvàm difficilem reſpirationem in genere, prout ſimpliciter vertitur, ſine omni ſpeciali reſpectu intellectam velle. Attamen â Medicis etiam hæc vox ſpecialiùs alibi accipitur, pro aliqvali tantùm

&

& leviori difficultate, tarditate aut moleſtia reſpirandi, adeoq; ſic primum ſaltem gradum mali hujus denotat: qvod ſi verò æger cum majori difficultate, anhelitu, ſtertore aut etiam clangore anxiè aërem haurire cogitur, dicitur in ſpecie Aſthma, à verbo ἀσθμάζειν, ideſt, cum anhelitu, ſono, vel qvaſi cantu qvodam reſpirare; unde illud vulgatum: Dyſpnoea ſe celat, canit Aſthma atq; malum revelat. Sed adhuc gravior ſpecies, major gradus eſt, ubi non niſi erectâ cervice, laborioſiſſimè ſummoq; cum conatu & anhelitu reſpirare coguntur ægri, eaq; propter hic gradus in ſpecie Orthopnoea dicitur.

II.

Non inutiliter hæc ita diſtinctè docentur, ut eò accuratius qvilibet gradus, indeq; periculum majus vel minus pateat diſcentibus, uti monet *D. Ammannus Paræneſ. ad Diſcent. Bartholet. Celſ. & alii.* Nihil tamen obſtat, qvin etiam Dyſpnoea vel difficilis reſpiratio in genere pro qvocunq; gradu accipiatur; qvemadmodum etiam ab ipſo *Hippocrate, Galeno, Aretæo* aliisq; Aſthma, Dyſpnoeam & Orthopnœam promiſcuè accipi, autor eſt *Foëſius Oeconom. Hippocrat.* Loqvemur ergò ſub noſtro Titulo tanqvam omnibus ad æqvatô de ſingulis, & Diſpnoeam interpretamur, qvòd *ſit Reſpiratio difficilis laborioſa, crebra, denſa, plus minus anheloſa, à pulmonum aliarumq; huic operi famulantium partium læſione oriunda.*

III.

Non commodiùs aut accuratiùs Græcanicum hoc vocabulum Latinè redditur, quàm per difficilem reſpirationem; Inſpirationem ſcil. & exſpirationem. Ita enim per naturam prudentiſſimô Creatoris conſilio ſancitũ eſt, ut ab eo ſtatim temporis punctο, quo ex utero materno hanc lucem ingredimur, auram hanc, tanquam optimum vitæ pabulum, inſpirando & exſpirando captemus, nec eâ unquam amplius, ne quidem per dimidium horulæ ſpatium citra manifeſtum mortis diſcrimen carere poſſimus; tàm individuus nimirùm vitæ & Reſpirationis nexus eſt, ut harum neutra ab alterâ ſeparari queat. Per reſpirationem enim unicè conſervatur & pro-

promovetur circulatio ſanguinis, Spiritus vitales ventilantur, eoque magis exaltantur &c. Confer. *Excell. Wedel. in Phyſiol.* aliiq;.

IV.

Qvàm neceſſaria itaq; & maximè proficua Reſpiratio libera deprehenditur, tàm laborioſa tamq; periculoſa eadẽ eſt ſufflaminata l. vitiata, ſi ritè & juxta naturæ leges peragi nequit, ut nihil tunc magis quàm totius fabricæ animalis ruina imminere quovis momento videatur. Debebat fieri expeditè, promptè & juxta arbitrium ſine ulla aliqua remora, gravitate vel moleſtia; ſed in hoc affectu Ægri qvaſi defatigati curſu, aut nimio onere oppreſſi, cum labore, anxietate & tædio aërem tantò majori cum aviditate captant, quantò magis ab eodem fruendo impediri ſe ſentiunt, nec minori cum moleſtia rurſus emittunt. Debebat etiam fieri blandè citra ſonum, crepitum aut ſtrepitũ per ordinaria & proportionata intervalla, ita ut inſpiratio exactè reſpondeat & ſit æqualis exſpirationi, & vice verſa: Hìc verò fit cum ſuſpiriis, ſtertore denſo & inæqualiter, modò diutius protrahitur inſpiratio, modo exſpiratio, paucis: ſingula circa Oeconomiam hanc depravatè peraguntur.

V.

Hæc autem utrum vitalis, vel potius animalis, aut mixta dicenda ſit, pomum inter eruditos Eridos eſt, nec placet hic prolixiùs disquirere. Vitalis certè, ſi uſum primarium reſpicias, exiſtit: Solùm enim propter ſanguinis circulctionem, ventilationem, ſpirituum vitalium exaltationem, adeoq; propter vitam, factam eſſe modò innuimus. Sed ſi verò organa, exceptis Pulmonibus, nempe Diaphragma, & Thoracis muſculos, motumq; ipſum, qui juxta arbitrium planè dirigitur & perficitur, attendas, non abſurdè etiam animalem dixeris. Aër quidem, ubicunq;, fœtu jamjam in lucem edito, acceſſus datur, preſſione ſua ac pondere corpus ſubit, permeat, & irruptione facta pulmonũ veſiculas & alveolos membranaceos, nullo motu proprio aut primô, nulliſq; fibris aut muſculis gaudentes, inſtar follis dilatat. Sed viæ, ſc. Nares atq; Fauces, ſint apertæ, it. Thorax & Diaphragma prius per ſpiritus & fibras muſculares, ut aër intrare queat, dilatari & expandi debent; utpote quibꝰ

etiam

etiam rurſus conſtringuntur indeq; pulmones conciduut, & aër at-tractus exſpiratu redditur: ut adeò functio hæc neq; pure animalis, neq; vitalis, ſed mixta: taleq; hoc ſymptoma dicendū relinquatur. Qvantumvis nulla hîc diverſitas nervorum ac ſpirituum ſupponatur, prout *Williſio* videtur; Cui etiam jam tùm accuratè reſpondit *Diemerbrock. in Anatom. ſua Corpor. hum. p. 747.* Confer. etiam ſi placet, *Barthol. Anat. Wedel. Phyſiol. Deuſing. de Reſpirat.*

VI.

Et hæ partes conjunctim omnes uti Reſpirationis naturalis, ita etiam præternaturalis ſubjectum adæquatum conſtituunt. Primarium quidem in utraq; locum ſibi Pulmones vendicant, quippe qvi mediantibus bronchiis ſ. aſperæ arteriæ ramificationibus iisq; appenſis ac continuatis veſiculis membranaceis, quas à *Malpighio* primùm inventas & accuratè deſcriptas accepimus, aërem illabentem primariò recipere debebant; nunc ob quamcunq; obſtructionem, compreſſionem vel contractionem in functione ſua deficiunt, nec ſe dilatare, remq; ad vitam ſimpliciter ac tantoperè neceſſariam (athmoſphæram, puta, aëream cum Globi Terraquei effluviis) recipere, nec receptam excludere rurſus queunt.

VII.

Compatiuntur tamen etiam reliquæ, quæcunq; Reſpirationi inſerviunt, partes imprimis muſculoſæ & nervoſæ Thoracis, Diaphragmatis & Abdominis, ipſaq; tandem ſpiracula, per quæ aër tranſire debet, fauces & aſpera arteria. In his æquè ac in aliis quoque viſceribus ſub Diaphragmate contentis, nempe Ventriculo, Liene, Hepate, Utero &c. nidum ſive focum mali hujus non rarò latere, ex cauſarum evolutione mox patebit.

VIII.

Proximæ & immediatæ cauſæ vicem ſuſtinet Pulmonis & præcipuè veſicularum ejus læſio, ſive ea per obſtructionem, compresſionem aut contractionem p. n. inferatur iisdem, perinde eſt; poſitô ex his quôcunq; læſionis modo, immediatè ſequitur difficilis reſpiratio, dum non legitimè dilatari & concidere Pulmonum lobi,

indeq;

indeq; nec inſpiratio, nec exſpiratio ordinariè celebrari aut reciprocari [illegible] poſſunt.

IX.

Ad mediatas proximiores pertinent quæcunq; bronchiorum & veſicularum iſtarum obſtructionem, compreſſionem aut conſtrictionem cauſare queunt. Obſtruunt quàm maximè humores pituitoſi, viſcidi, frigidi, acidi fæculenti: Hi ſive jamjam viſcidi, & lenti in ipſis vaſis pnevmonicis & glandulis accumulentur & ſtagnent, ſive ê ſangvine in pulmonibus partibusve vicinis, faucibus & aſpera arteria, â glandulis ſecernantur, ſive deniq; adhuc tenues aut ſeroſi ad pulmones ſenſim deſcendant, ibidemq; detenti ac ſtagnantes ab indole propria per inſpirationem 🜁is frigidi, humidi multisq; impuritatibus referti demum inſpiſſentut & lenteſcant, quôvis modo veſiculas ſpiritales replere, obſtruere, 🜁emq; aditu libero prohibere quàm apti ſunt. Hinc fit, quod temperamenta Phlegmatica, ſeroſa, aër frigidus & humidus, vernalis & autumnalis, aliaq; ſimilia ad hanc aſthmaticam diatheſin admodùm diſponant. *Williſius* imprimis incuſat ſanguinis dyſcraſiam 🜍eo 🜔nam Phlegmaticis perfamiliarem, quia hîc penduli & rancidi vini inſtar craſſus, ⌒u aliisq; activis 🜔is & 🜍is principiis depauperatus ac quaſi mucilaginoſus pigrè in vaſis circulatur; viſcera, dum permeat, infercire iisq; fæculentias quaſi limoſas affigere aptus eſt. *Cap. 1. de Scorbut.*

X.

Sed obſtruunt etiam & veſiculas iſtas ſive meatus pnevmonicos replent plures aliæ cauſæ; Serum nempè ſeu lymphalicet tenuis, tamen peregrinis & fermentabilibus 🜔ibus impraegnata effervescens & confertim largiterq; ad centrum ſangvinis & ſpiritalia organa confluens atq; irruens. Sic ab arthritidis præpoſterâ curatione, item â ſcabie per intempeſtivas inunctiones ☿les, 🜍tas, ♄nas &c. illegitimé ſanata, quin & â tumoribus, abſceſſibus, herpete, ſerpigine &c. ſubitò & præter rationem evaneſcentibus, nec non â fontanellis ſuppreſſis, hoc ſtertorium enaſci malum, exempla in Praxi paſſim obvia confirmant. Ratio eſt in promptu: materia enim

illa

illa exotica ſemel à natura extra Maſſam ſangvineam eliminata, poſtliminiò rediens & ſangvini reaffuſa, cùm aliena prorſus & non aſſociabilis, non poteſt non ſangvinis craſin inſigniter pervertere, motus ac nutritionis functiones interturbare, & œconomiæ ritus, quò minus rectè fiant, impedire. *vid. Willis. l. c.*

XI.

Quin ipſe ſangvis idem præſtare valet, quatenus vel jam obſtructas venas & arterias in receſſu habet, adeoq; in motu impeditur; vel quatenus efferveſcit, ſuprà modum expanditur, inq; orgaſmum concitatus impetuosè nimis & majori copia verſus cor & pulmones ruit, quàm alveolis ſuis pro exigentia excipere & transmittere queunt, unde intumeſcunt & turgent; nonnunquam vaſa ſangvifera prorſus rumpuntur, hinc cruoris in pulmones effuſio, & veſicularum repletio ſive oppilatio. Idem ab evacuationibus ſolennibus, e.g. menſibus & hæmorrhoidibus ſuppreſſis, non rarò contingit. *Confer. Barthol. d. Pulmon. C. 2. Poter. C. 2. Obſ. 16. Zacut. Luſit. Hiſt. 2. l. 3. Bohn. Diſſert. de Catarrh. Suffoc.*

XII.

Porrò ad hunc cenſum pertinent varia adhuc alia: Calculi pulmonū ſive grandines, qvales in Aſthmaticis *Epiphanius, Plater. Rhodius, Hæſſer. Fabr. Hildan. Kerkring. Spicil. anat. Helmont. Tr. d. Aſthm. Barthol. in Act. Haffn. Diemerbr. lib. II. d. Thorac.* aliiq; deprehenderunt: Item vapores & fuligines craſſiores in cryptis & cellis, ex fermentatis, carbonibus, metallis &c. Nec non & abſceſſus, tubercula, ſteatomata, ſcirrhi, carunculæ, vermes, aliaq; ſatis admiranda; qvalia ſummô ſtudiô collecta legi poſſunt *ap. Bonett. in Sepulchret. Aſthma* ab ejusmodi cauſſis dependens *Helmontio* inter humidum & ſiccum ambigens vocatur.

XIII.

Eadem omnia hucusq; recenſita etiam comprimendo pulmonarium veſicularum expanſionem cohibere poſſunt. Nam qvæcunq; oppilant veſiculas qvasdam, ea qvoq; vicinas comprimunt, & ſic à libera dilatatione & contractione prohibent. Hac ratione

præcipuè difficultatem in reſpirando creant pulmonum & vicinarum partium conformatio & conſtitutio præternaturalis: Sic Gibboſi ob diſtorſionem & anguſtiam pectoris & ſpinæ dorſi, qvatenus ſpatium pulmonibus expandendis præoccupatum habent, laborioſè anhelant; qvidam tantùm à depreſſione ſterni, qvod Pugilatoribus uſu venire ſolet; alii à vertebrarum aut colli luxationibus, inflammatione faucium, aliorumve muſculorum reſpirationis muneri accommodatorum, ut in Angina, Pleuritide, & Paraphrenitide &c. Item in Empyemate, pectoris hydrope & abdominis, Scirrho aut aliis tumoribus hepatis, lienis, ventriculi, diaphragmatis &c. in geſtatione fœtus vel molæ ſublimi, abdomine præſertim brevi & anguſtiore exiſtente; alii ab ipſorum pulmonum coaleſcentia cum pleura, coſtis, claviculis & diaphragmate &c. etſi non ſemper, utplurimùm tamen ſtrangulationis diſcrimen incurrunt; de qvibus pleni ſunt Practicorum Libri.

XIV.

Obſtruendo & comprimendo difficilem reſpirationem cauſſat in ſpecie qvoq; Paralyſis diaphragmatis, muſculorum thoracis, aliarumq; partium huc facientium, à ſpirituũ animalium in has derivatione & influxu inhibito propter nervorum ipſorum (qvorum aliàs officium eſt in partes motrices, novas ſubinde ſpirituum copias & motuum obeundorum inſtinctus convehere,) obſtructiones, compreſſiones aut vulnerationes, ortum ducens: Hinc aſthma illud in Incubo, Apoplexia &c. etiam citra humorum præſentiam propullulare nullus dubito. Spiritibus enim huc non influentibus, ſuoq; appulſu motum juxta *Carteſianos* inflando & contrahendo muſculos inchoantibus, neq; diaphragma, neq; thorax promptè dilatari iterumq; conſtringi qveunt, per conſeqvens, neq; pulmonibus ſyſtoles atq; diaſtoles ſubeundi vices copia fit.

XV.

Sed adhuc alia peculiari ratione Pulmones in motu ſuo impediuntur vel depravantur, qvando nimirùm ſpasmodicè ob varias cauſſas convelluntur & contrahuntur. Hîc ſupponere rurſus licet, inter pulmonares veſiculas non tantum vaſorum ramificati-

ones

ones ſangviferorum; ſed etiam nervorum diſpergi, & inſtar reticularis plexus coëxtendi, qui etiam extrinſecus veſicularum congeriem ambit; cui accedit, qvòd qvilibet thoracis, diaphragmatis & faucium muſculus ſuis gaudeat nervis. In his igitur æqvè ac in aliis partibus nervoſis ac fibroſis qvandocunq; motꝰ p. n. & ſpasmodicus contingit, non poteſt, qvin reſpiratio difficilis, denſa, anxia ex tempore inſeqvatur. Ab hoc orta anhelandi difficultas in ſpecie vocatur Aſthma convulſivum; *Helmontio* Aſthma ſiccum, item, Caducus ſive Epilepſia pulmonum audit. Oritur autem ſæpiſſimè in Scorbuticis, Hypochondriacis, Hyſtericis; nec non â gravibus contuſionibus, vulneribus nervoſi generis, qvando ſubitò & citra humorum tenacium aut catharrhoſorum præſentiam ægri ſentiunt conſtrictiones thoracis, diaphragmatis, & hypochondriorum non ſecus ac ſi cingulô comprehenderentur & conſtringerentur cum metu præſentaneæ ſtrangulationis: Adſtantes qvoqve ſtrepitꝰ nonnunqvã ac murmura, item inflationes & tenſiones ad duritiem usq; hypochondiorũ tactu atq; auditu percipere poſſunt. Qvibus etiam non rarò convulſiones aliarum partiũ, imò totiùs corporis ſuperveniunt veluti in Hyſtericis præcipuè tota die deprehendere licet; idq; ob graves nervorum irritationes & ſpirituum per hos excurrentium inordinatos & impetuoſos influxus. Spiritus enim animales, ſicut qvieti & infeſtæ heterogeneitatis expertes, in ſtatu naturali motũ cœterasq; functiones ſuas iuxtà naturæ legem expediunt; ita etiam copulâ aut materia ſibi ingratâ & ſpasmodicâ præoccupati, ſive eam intra corticalem ἐγκεφάλȣ ſubſtantiam, (qvem locum ipſis natalem *Willis in Cerebr. Anat.* aſſignat) primariò conceperint, ſive in remotioribus demùm partibus intra canales ſuos eandem aſciverint atq; imbiberint, omnia contra naturam inordinatè agunt, concutiunt, atq; pervertunt.

XVI.

Ejusmodi autem præternaturalem & impetuoſum ſpirituũ motum concitant maximè orgaſmi ſive turgeſcentiæ in ipſis partibus nervoſis â concurſu peregrinorum & enormium ⊖ium, alcalinorum & acidorum, qvæ inter ſe neceſſariò colluctantur & efferve-

 vescunt,

ſcunt, & in modò notatis Hypochondriacis, Scorbuticis & ſimilibus aliàs abundè patent. Idem efficiunt flatus ſylveſtres, acres ab eadem afferveſcentia intra viſcoſos humores oriundi: A veneno induci poſſe, experiri licuit in Canibus nuce vomicâ enecatis, qvi dimidia circiter horâ ab aſſumptione anhelosè primùm reſpirabant, mox tetanô, omni intercepto anhelitu, corripiebantur, usq; dum prorſus ſuccumberent: A fuliginibus & vaporibus aliunde adventantibus, e.g. â fumis & halitibus acribus, corroſivis, fermentativis; qvales ♄ium, ∞, ☿ aliaq; metalla; imò etiam carbones, calx viva & plura alia in calcinationibus aliisq; præparationibus de ſe ſpargunt, & ab operatoribus vel adſtantibus abſorbentur. Hinc qvoqve eſt, qvod Metallurgi, Chimici, Aurifabri, & ſimilibus operationibus Addicti, freqventiſſimè hôc malô tententur; qvô de plura lecturus videat *Paracelſum in variis locis. Helmont. l.c. Horſt. Tom.2. Obſ.* Reliqvis remotioribus & minoris momenti cauſſis hîc afferendis & recenſendis ſtudio & lubens ſuperſedeo, qvippe qvæ in Practicorum Libris aliàs prolixè & ſatis fusè explicatæ hinc inde occurrunt. Hunc in finem vel ſola locupletiſſima illuſtris *Sennerti Praxis* legi meretur.

XVII.

Ex his autem ſatis ſuperq; liqvet, qvàm variè affectus noſter cauſarum ratione differat, & hinc etiam graduum diſcrimen pendet. Ipſe gradus qvomodo inter ſe diſtingvantur, patet è ſupra datis deſcriptionibus Dyſpnoeæ, Aſthmatis & Orthopnœæ. Catarrhus ſuffocativus revera nihil aliud eſt, qvàm Aſthma vel Orthopnoea, ſaltim qvod lympha vel ſerum confertim hîc irruat, turgeſcat & ad coãgulationem tendat; qvod in aliis ſpeciebus minus obvium eſt.

XIIX.

Imprimis notari convenit, quòd ægri quidam decumbentes ſatis liberè reſpirare poſſint, ſimul ac verò ſeſe movent, aut erigunt, aut erecti aliquamdiu ſedere intendunt, ſummo ſæpius anhelandi labore obruantur, ita ut animo prorſus ſolvi videantur; prout notavit, *Möllenbroc. d. Arthrid. pag. C.3. Foreſt. L. XX. Obſ.12.*

Pro-

Procul dubio quòd hâc ratione in erectione & motione corporis humores alibi latitantes magis excitentur, nec tamen propter pulmonum, aliorumq́; viſcerum ſuſpenſionem, quæ in erectione, fit, iisdem tàm liber motus & diſtributio conceditur. E contrariò annotantur alii, præcipuè Scorbutici, qui quousq́; corpus in ſtatu erecto continent, ſedent aut ambulant, libera ſatis aura fruuntur; noctu autem vel quocunq́; tempore ſeſe inclinato corpore ad ſomnum componunt, ſtragulisq́; coöperiunt, gravem illicò anhelitum perſentiſcunt; ex nullâ fortean aliâ ratione, quàm quòd à lecti calore magis excitentur & actuentur turgeſcentiæ humorum à concurſu ⊖ium peregrinorum, quæ aliàs ob ambitum 🜁is frigidi haud facile ebullire ac efferveſcere poterant; adde, quod minor de nocte per quietem vaporum atq́; humorum fiat ventilatio ac diſſipatio: ut adeò nec ad Lunæ motum aut operationem hîc ſolùm confugere opus ſit. Confer. *Will. d. Aſthm. & Morb. Conv. p. 84. & alibi.*

XIX.

Adhuc peculiaria phænomena obſervamus circa affectum hunc. Quidam nempe ægri ſupini ſaltem decumbere nequeunt, citra præſentaneum præfocationis aut lypothymiæ periculum; ſed continuò opus habent, ut erecti ſedeant, vel ambulent & caput antrorſum magis inclinent; qvale exemplum *Willis* de Juvene quodam phtiſico refert. l. c. *c. 5.* Sed ibid. accedunt circumſtantiæ variæ cauſarum, quibus in decubitu potiſſimùm pulmones in expanſione debita & -⌒-us in influxu impediri magis queunt; ceu in iam memorato juvene non ſolũ ulceratio; ſed etiam ſcirrheſcentia ferè totalis obſervabatur, quæ certè effecerunt, ut in decubitu ſupino pulmones ob duritiem ſcirrhoſam dorſum verſus inclinarent, veſiculas interiores, imò ipſos nervos ad pulmones & cor excurrentes magis comprimerent, unde neceſſariò iſta ſymptomata oriri oportuit. In aliis accedunt rurſus alia, e, g. nimia obeſitas, obſtructiones & tumores viſcerum inferiorum, inflammationes & ulcerationes in partibus anterioribus pulmonum & ſimilia, quæ omnia decubitum ſupinum prohibere, vel ſaltem difficilem reddere poſſunt.

XX.

Nec explicatu difficile adeò erit, quare quidã non tàm rectè & in plano incedentes, ſed loca accliviora aſcendentes difficilem reſpi-

rat

rationem patiantur, prout in diverſis id notamus hominibus; Præterea enim, quod hîc quoque variæ circumſtantiæ, nempe langvor viriũ, gravitas corporis, hydrops & ſimilia attendenda in ejusmodi ſubjectis ſint; in ſpecie tamen hîc ſubeſſe putarem ♌num animalium inſignem defectum: Siquidem pluribus omninò ♌bus, majoriq; conatu in aſcendendo, quàm recta inceſſione opus eſſe nemini non conſtat.

XXI.

Alias qvoqve differentias ſuas habet ratione ſubjecti radicalis, Siqvidem Pulmones, utut primarium reſpirationis organon, non ſemper tn. radicem morbi ſuſtinent; ſed aliunde ſæpius participare, inter cauſſas modò innuimus; qvæ autem probè à Practico conſideranda & indaganda, ne jugulum mali petens vix caudam feriat. Illa eſt idiopathica; hæc verò ſympathica. Sic etiam ratione temporis modò eſt continua, modò periodica, longa vel brevis; qvæ tamen ſunt levia, & ſponte innoteſcunt.

XXII.

Reſpiratio qvæcunq; difficilis facilè cognoſcitur; Siqvidem in ſenſus incurrit: Sed in cauſarum ſubjectiq; radicalis cognitione eò majore circumſpectione opus eſt. Prudenter g. reſpiciendum ad circumſtantias omnes, tàm antecedentes, concomitantes, qvàm conſeqventes. Nempè Diſpnoea à ſangvine, ſero, aliisq; humoribus nimis viſcidis, crudis, frigidis ob prædominans acridum ad ſtagnationem, coägulationem & grumeſcentiam nimiùm pronis, colligi poterit ex temperamento tali, ſimilibusq; cauſſis diſponentibus: Pulſus erit debilis, tardus, ⊡ cruda, turbida, pallida &c. Si in ipſo ſangvine principaliter hæreat, vel ejus grumenſcentia intendatur, palpitationes & deliqvia animi erunt in promptu, unà cũ ſignis Cacochymiæ acidæ, ♀eæ, crudæ. Qvòd ſi verò in ſpecie ab ebullitionibus & turgeſcentiis ſubitaneis ſeri ſangvinisq; ſcorbutici pendeat malum, concomitabuntur non ſolùm cauſæ & ſigna Scorbuti; ſed orgasmum flatulentum ſpecialiter indicabunt ſubitaneæ inſultûs, à levibus cauſſis externis, e.g. ☽ motu, ira, cibo ac potu &c. excitati, anxietates præcordiorum, phlogoſes faciei

&c.

&c. His communiter ſociantur flatus, hinc etiam iiſdem cognoſcuntur ſignis, ſaltem qvod modò copioſiores, modo pauciores ſint; hinc etiam hypochondriorum & præcordiorum tenſio ſive inflatio major vel minor, qvibus ructus, murmura, tormina aliaq; conjunguntur.

XXIII.

Sed ab his cauſis etiam non rarò convulſiones diaphragmatis & thoracis, imò etiam meſenterii & inteſtinorum excitari & miſceri notavimus ſuprà ſub convulſiva Dyſpnoeâ: Illæ g. dijudicandæ ſunt ex ſignis propriis convulſionum; Æger manifeſtè ſatis ſentiet conſtractionem hypochondiorum, ac ſi cingulò comprehenderentur; cui interdum adjunguntur ſpasmi extrinſeci. Taceo qvòd reliqvarum cauſarum ſigna abſint. *Confer. Willis. de Morb. Conv. c. 12. & Cap. 3. d. Scorb.* Convulſionibus prorſus contraria eſt Paralyſis iſtarum partium reſpirationi inſervientium, qvæ qvidem convulſiones interdum antecedit, interdum ſeqvitur: cognoſcenda igitur è ſignis propriis Paralyſeos & cauſſis ſuprà datis. Reliqvæ adhuc qvamplurimæ cauſſæ, ut inflammationes, ulcerationes, luxationes, vitioſæ conformationes &c. judicentur è propriis Fontibus: Et ſic etiam ſubjectum radicale obſcurum eſſe neqvit.

XXIV.

Pro varietate cauſarum harum, indeq; graduum aliarumq; circircumſtantiarum variat etiam periculum affectus noſtri: Sic facilius curatur à phlegmate, ſero, plethora, flatibus & ſimilibus levioribus cauſſis; minus autem à gravioribus obſtructionibus, ingenti cacochymia Scorbutica, acida, inflammatione, calculis pulmonum, luxatione &c. oriundum: Prorſus non curatur, ſi vitioſa conformatio, luxatio gravis, gibboſitas, ſcirrhi & ſimilia, in cauſſa ſunt.

XXV.

Sic m. levior eſt convulſiva, quàm paralytica: illius enim cauſa facilius diſcutitur. Minus periculi habet Dyſpnœa prout accipitur pro gradu primo, majus Aſthma, maximum Orthopnœa, ubi

ubi quovis momento imminet ſuffocatio in quocunq; morbo. Reſpiratio difficilis, protenſa, frigida & duplicata non niſi mortem comitem habet ob robur & vires jam penè oppreſſas & extinctas. Qui ex aſthmate Gibbi fiunt, ſtatim moriuntur, teſte *Hippocr. 6. aphor. 46.* Luxatio enim vertebrarum dorſi violenta, ſubitanea & totalis, per ſeſe lethalis exiſtit propter ſpinalis medullæ compreſſionem aut lacerationem. *Confer. Welſch. de Vuln. Lethalit.* Terminantur non rarò in phtiſin quando humores in pulmones delati ibiq; ſtagnantes corrodunt, vel propter difficultatem ſummumq; conatum in reſpiratione vas aliquod rumpitur: In Cachexiam vel Hydropem, quando alias phlegmaticum, ſeroſum temperamentũ, obſtructiones & debilitates viſcerum conjunguntur: in Epilepſiam vel Apoplexiam, quando alias eſt convulſiva vel paralytica cum incubo, epilepſia hyſtericâ & ſimilibus complicata. Hyſtericas cum apparente apnœa per triduum ſupervixiſſe, & ad ſe rediiſſe exemplis conſtat, ubi res ex inſenſibili tranſpiratione explicanda erit. Dyſpnœa autem in febribus acutis cum delirio lethalis eſt *juxta aphor. 4. 50.* Niſi enim inſtante criſi fiat, indicat inflammationem pulmonum & viſcerum aliorum, quæ admodùm periculoſæ ſunt.

XXVI.

Therapia eò magis difficilis erit, quo difficiliorem Dyſpnœam eſſe, ex enumeratâ ſerie, varietate & gravitate cauſarum conſtat: Juxta earum enim indicationes omnis Cura dirigenda venit. Si inducias concedunt & adhuc remotiores exiſtunt, unicè eaſdem removere conamur, inchoando â potioribus, quouſq; etiam remotiſſimas effugere diſcat æger. Verùm ſi gravius urgent, vitæq; præſentaneum periculum inducunt, habemus etiam reſpectum ad ipſum ſymptoma, iſtud omnibus modis mitigando & vires conſervando. In hunc finem ſuppeditabimus remedia è tribus uſitatis Fontibus, eaq; cuilibet accommodabimus ſcopo breviter.

XXVII.

Venæ Sectio præ cæteris generoſiſſimum & præſtantiſſimum, quicquid etiam regerat *Helmontius*, præſtat auxilium, etiam in ipſo

paro-

paroxyſmo ſuffocativo, ubi ſc. à ſanguinis orgaſmo, affluxu, ſtagnatione intra vias ſpiritales malũ dependere, vel ſaltem plethora conjungi obſervatur. Inſtituetur commodè in principio & in partibus extremis, brachio vel pede, & ſi ſuffocatio urget, inciſo majuſculo foramine, majoris revulſionis gratia; ubi ſangvinis emittendi quantitatem ipſe affectûs, ſangvinis & virium ſtatus metietur. Neq; inconſultũ erit pro eorundem & circumſtantiarũ indicatione eand. per vices repetere. Cucurbitulæ ſcarificatæ, Venæ ſectionis vicariatum ſuſtinentes, quoniã debilius revellunt, ac ſangvinẽ lymphamq; commovent, convenient magis præſervatoriè in aſvetis circa ſcapulas & extrema inſtitutæ. Ita etiã Fonticulorum effectus non tàm citò ſequitur, ut in paroxyſmo graviori quis ſalutem exinde ſperare poſſit: Extra eum verò ſine dubio in aſthmate phlegmatico ſeroſo præſervant non ſolùm, qvatenùs lympham ſive laticem imminuunt & evacuant, uti *Helmont. l. c.* §. *74.* præcipit; ſed etiam ejusdem & ſangvinis ipſius ſtagnationi, coagulationi, conſeqventer etiam ſuffocationi renituntur: hinc excitatur unus vel alter in brachio ſeu pede, vel utroq;, prout viſum fuerit. Veſicatoria vel Setacea citius & majori efficacia idem ſerum revellunt & commovent, unde etiam in affectibus ſoporiferis tanti uſus & virtutis ſunt, inq; ipſo paroxyſmo locum habere qveunt, ſi cœtera paria fuerint: In dubiis enim & periculoſis morbis nihil intentatum relinqvenqvendum, dummodo detrahi malo qvicqvam liceat. Qvò autem eò præſentius opitulentur, & effectus notabilis ſeqvatur, præſtat acetum ommittere, de qvo legatur. *Sennert. Horſt. Henric. ab Heer.* Frictiones demùm artuum inſigniter poros cutis reſerant, lympham commovent; inde nunqvam intermittenda.

XXVIII.

E Pharmaceuticis laxantia & alvum ſubducentia primum locum merentur, ubi paroxyſmus à ſeri decubitu ad vias ſpiritales imminet, vel jamjam urget: Si V.S. ſimul indicatur, perinde eſt, utrum antè vel poſt eam adminiſtrentur. In Catarrho ſuffocativo præſentiſſimum qvodq; eſt qvoqve optimum; Si qvidem ſtatus morbi permittit, clyſteres V. Sni præmitterem.

Clyſteres in hoc ſtatu ab adultis & infantibus facilius admittuntur, & qvoniam loco remoto à pectore applicantur, omninm tutiſſimè operantur. Unde *B. D. Etmüll. Diſſert. d. Sperm. Cet.* in omni Catarrh. ſuffocativo à Clyſteribus initium capiendum eſſe ſvadet; Sint tamen pro gravitate cauſarum nonnihil ſolitis acri-

 ores

Si ad Scorbutum, malum hypochondr. paſſiones hyſter. & ſimiles in ſpecie reſpiciendum eſt, ſpecialiora qvoqve remedia in promptu habentur, e.g.

℞. ♎ Cochlear. compoſ. ♀ l. ✱. Succin. ⊖ d. l. ⊖ ſtriat. ā. ℨj. Tinct. Croc. anodyn. ā. ℈ß. M. D. gutt. 40.

XXXII.

Ita qvoqve varietas obſervanda qvoad alias circumſtantias, e.g. in phtiſicis, gravidis aliisq; Sic à ſcabie, ulceribus, arthritide aliisq; male curatis oriunda Dyſpnoea curabitur his dicatis expellentibus, ſudoriferis, unà cum appropriatis maritatis. Ubi Paralyſis ſubeſt, tùm Antiparalytica interna & externa pnevmonicis ſociata in auxilium vocantur, In calculis pulmonum conducunt aperitiva diuretica: Contra fuligines ☿, ∞, ⊕licas & ſimiles dentur Alexipharmaca appropriata & ſic porrò. Iſtud autem è ſupra jam dictis obſervandum, qvòd in multis ægris paroxyſmus à Catarrhis, turgeſcentia & deſtillatione lymphæ verſus bronchias, aliasq; vias ſpiritales pendeat, & tunc primariò & præcipuè ſuum officium faciunt præter avertentia Purgantia, Diuretica & Diaphoretica, etiam ea, qvæ ἐνεργητικῶς exſiccant, adſtringunt, tonum viſcerum roborant, & ſeri turgeſcentiam impediunt: Id qvod feliciter præſtant Balſamica volat. ▽is & Anodynis ritè maritata.

Rec. *MP. d. Succin. Crat. ℨß. Extr. Ladan. ℈j. Opii gij. Succin. pt ℈j. Cinnab. nativ. ℈ß. Eſſ. Succin. q. ſ. M. F. pilul. mediocr. pro ij. l. iij. doſ. Dentur veſperi circa lecti introitum. Aut.*

Rec. *Pulv. ſtegnot. Guttm. ℈ß. Sperniol. Cr. bol. armen. ā. gr. Laudan. op. gj. M. F. pil. med. pro doſ.*

Rec. *Specif. cephal. D. M. Succin. pt. Spec. diatragac. ♁ diaph. ā. ℈ß. Laud. op. gß. l. j. Meſce, detur in qvadruplo.*

Rec. *▽ ſerpill. ex multipl. infuſ. ℥ij. Cinam. cydon. ℥ß. Eſſ. Succin. vol. ℨß. R. anod. ℈ß. Syrup. maſtichin. l. de beton. ℨß. M. D. per ſe l. pro vehiculo pulverum.*

Et ejusmodi plura alia à prudenti Medico facile adornari poterunt, prout circumſtantiæ cauſarũ, ſubjectorũ aliorumq; indicabũt.

XXXIII.

Qvoad Regimen Diæteticum non eſt, qvòd multa hîc moneamus; Siqvidem Diæta itidem juxta cauſarum varietatem dirigenda & varianda; adeoq; ſeqvitur cujuslibet cauſæ proprium.

S. D. G.